

INDEX LECTIONVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM VRATISLAVIENSI

PER AESTATEM ANNI MDCCCXXXVI.

1836

A DIE XXV. APRILIS

Dr. Ritschl

De Marsyas rerum scriptoribus

INSTITVENDARVM.

~~Ritual de Marsyas~~
rerum scriptoribus.

Inest:

Marsyas (Vorfahre von Mars)
der Historiker

TYPIS VNIVERSITATIS.

UNIVERSITATIS LITTERARVM VRATISLAVIENSIS RECTOR ET SENATUS COMMILITONIBVS

S.

Inter scriptores qui res gestas Alexandri Magni litteris mandarunt non ignobile Marsyas nomen fuit. Quo nomine qui innotuerunt scriptores (non est enim unus), de iis etsi dedita opera G. I. Vossius de historicis Graec. I, cap. 10., Valesius in Harpocrat. v. *Λητή*, Wesselingius in Diodor. XX, cap. 50. et Schweighaeuserus in Athen. Indic. script. p. 143. sq. commentati sunt, tamen plura quam exspectes sunt relicta, quae vel plenius dici vel rectius et subtilius posse videantur. Ac proficiscendum in hac quoque quaestione est ab Suidae memoria, qui haec prodidit vol. II, p. 503. editionis Kuesterianae (nam Gaisfordianae exemplum lugendum est sane in hac urbe literatissima nullum reperiri):

Μαρσύας Περιάνδρου, Πελλαῖος, ιστορικός. οὗτος δὲ ἦν πρότερον γραματοδιδάσκαλος, καὶ ἀδελφὸς Ἀντιγόνου τοῦ μετὰ ταῦτα βασιλεύσαντος, σύντροφος δὲ Ἀλεξάνδρου τοῦ (τοῦ Μακεδόνων Εὐδοκ.) βασιλέως. ἔγραψε Μακεδονικὰ ἐν βιβλίοις δέκα, ἤρξατο δὲ ἀπὸ τοῦ πρώτου βασιλεύσαντος Μακεδόνων καὶ (excidit προῆει vel προῆλθε) μέχρι τῆς Ἀλεξάνδρου τοῦ Φιλίππου ἐπὶ τὴν Συρίαν ἐφόδου μετὰ τὴν Ἀλεξανδρείας κτίσιν Ἀττικὰ ἐν βιβλίοις ιβ', καὶ αὐτοῦ τοῦ Ἀλεξάνδρου ἀγωγήν.

Μαρσύας Κριτοφῆμον, Φιλιππεύς, ιστορικός ὁ νεώτερος.

Μαρσύας Μάρσου, Ταβηνός, ιστορικός. ἔγραψεν ἀρχαιολογίαν ἐν βιβλίοις ιβ', μυθικὰ ἐν βιβλίοις ζ', καὶ ἕτερα τινὰ περὶ τῆς ἰδίας πατρίδος.

In his vix quemquam fugiat aliquantum esse turbatum: tametsi nihil eiusmodi vel Vossius subodoratus est vel professus Schweighaeuserus. Nam cui non mirum illud accidat, quod e tribus rerum scriptoribus cognominibus unus dicitur ὁ νεώτερος? Quo accedit, quod eorum quae a Suida narrantur propemodum omnium apud reliquos antiquitatis scriptores nullum certum vestigium exstat praeter *Marsyae maioris Μακεδονικά*, sed quibus certissima accedant etiam *minoris Marsyae Μακεδονικῶν* testimonia. Qua re cum magis etiam suspecta reddatur tertii alicuius societas, tum dubitatio haec oritur, num Suidam veri satis sit simile unius tantum auctoris Macedonica commemoraturum fuisse. Horum aliquid sensisse Valesius, plus videtur Wesselingius: quorum ille *duo* inquit *Marsyae fuerē, alter Periandri filius Pellaeus, — alter Marsi filius*, quem quidem *Ταβηνόν* esse pro Tabeno vult h. e. *natum Tabiis in Galatia*; hic vero *duo* ait *fuerunt Marsyae rerum Macedonicarum scriptores, alter domo Pellaeus Periandri f., alter Philippensis Critophemi f.*, quem τὸν νεώτερον intelligit: neuter rationibus expositis suae sententiae, quibus quid aut Philippensi aut Tabeno fieret explicaret. Propior autem ad veritatem Wesselingii sensus fuit: quod ita licet confirmare, ut nequeat contra dici. Apud Stephanum enim Byzantium haec leguntur v. *Τάβαι: πόλις Λυδίας. — οἱ δὲ φασὶ τὸν Κιβύραν καὶ*

Μαρσύαν ἀδελφούς τὸν μὲν κτίσαι Κιβύραν πόλιν, τὸν δὲ Τάβας e. q. s., paullo autem post: ὁ πολίτης Ταβηνός. Vnde planissime apparet deleto apud Suidam tertio ἱστορικός, quod e superiore versu huc invasit, aut loco pellenda esse *Μαρσύας Μάρσου Ταβηνός*, sive ea post scriptorum indicem Philippēnsis Marsyae ab ipso Suida posita fuerunt, sive illata sunt, id quod veri esse omnium simillimum putamus, ex a scripta in margine notatione: aut eisdem suo in loco servatis sic esse scribendum dicam an ludendum: *Μαρσύας Κριτοφήμου, Φιλιππεύς, ἱστορικός ὁ νεώτερος· ἕτερος (δὲ) Μαρσύας Μάρσου, Ταβηνός. ἔγραψεν ἀρχαιολογίαν* — καὶ ἕτερά τινα περὶ τῆς ἰδίας πατρίδος, hoc est de rebus Macedonicis. Nam Φίλιπποι, ne quis erret, πόλις Μακεδονίας est eidem Stephano. Sed ex Eudociae sane verbis illud assequi nemo facile potuerit, quae Pellaei scriptis cum immemorabili discrepantia enumeratis sic pergit p. 298: εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλοι δύο ἱστορικοὶ, ὁ μὲν Κριτοφήμου Φιλιππεύς ὁ νεώτερος, ὁ δὲ Μάρσου Ταβηνός, ὃς καὶ ἀρχαιολογίαν ἔγραψεν e. q. s.

Licet autem nunc ulterius progredi et quae tempora fuerint, quod vitae genus utriusque scriptoris, qui ambitus, quae dispositio et fides utriusque Macedonicorum, quae vestigia aliorum librorum ab iis editorum, aliqua certe ex parte vel argumentorum necessitate cogere vel eruere coniecturae probabilitate. In qua opera ita versabimur, ut hoc in loco eorum summam comprehendamus, quae ex pertractatis singulis sive fragmentis sive testimoniis esse consecutaria deinceps demonstrabimus. Ea autem, si recte numeravimus, praeter Suidam et Eudociam in tota antiquitate exstant XXVI., et IX. quidem, quantum colligimus, pertinentia ad Pellaeum, ad Philippensem Marsyam reliqua vel maxima certe pars eorum (cf. fr. XXII). Pellaeus igitur Marsyas, aequalis Alexandri M. cum eoque una educatus, Antigoni autem frater uterinus (fr. IX), etsi γραμμάτων διδάσκαλος aliquo tempore fuit, tamen mutata vitae condicione ad arma se contulerit oportet, quando pugnae navali ab Demetrio Antigoni filio Ol. 118, 2. contra Ptolemaeum ad Cyprum commissae interfuit, ipse classis particulae ab Demetrio praefectus (IX). Rerum Macedonicarum historiam decem libris complexus est ab originibus ad Ol. 112, 2. (IX), ita quidem ut minimum quattuor libri medii in Philippicorum temporum narratione versarentur (V. VI). Pro ea quae cum tractatarum rerum memoria intercedebat Marsyae et patriae et aetatis societas, locuples scriptor et fide dignus videtur exstitisse (IV). Nec Atticorum ullum vestigium exstat (cf. XI), nec, damno imprimis dolendo, eius libri quo de educatione Alexandri M. commentatus est (cf. XXVI). Marsyas autem Philippensis, Herculis sacerdos (XVI), primum commemoratus circa Vespasiani, Traiani Hadrianique tempora (XIX. XX. XVI), etsi quanto post Pellaeum vixerit non constat, tamen haud cunctanter ad posterioris aetatis ea tempora referendus est, quibus in multiplicem variae eruditionis tractationem subtilemque commentandi exilitatem vetus et antiqua litterarum simplicitas verterat (XVII. sqq.). Huius Macedonicon, quae multa fuisse in locorum descriptione videntur (XV), haec fuit, si testimonio non ambiguo insistimus, ratio, ut inchoatum a Pellaeo opus continuarent, h. e. ut praetermissa superiorum regum memoria ab ipsius Alexandri M. rebus gestis, quarum partem tantum perscripserat Pellaeus, ordirentur (X), libris autem minimum sex comprehenderentur (XIII). Quae autem inter haec Philippensis Marsyae Macedonica eiusdemque τὰ περὶ Ἀλέξανδρον, quorum quintus liber excitatur, ratio intercesserit, perdifficile dictu est (XXV. XXVI). Mythicorum pauca nec aperta vestigia supersunt (XXIII. XXIV), Archaeologiae obscurior etiam memoria est (XI).

De Pellaeo scriptore veterum testimonia haec sunt, eo ordine, quatenus id licet et commodum est, disposita, quem tenuisse in ipsius Macedonicis videntur. (I) Constantin. Porphyrog. de thematis imperii lib. II, p. 17. Ven. (22. Par.): λέγεται δὲ καὶ Μακεδονίας μοῖρα Μακετία, ὡς Μαρσύας ἐν πρώτῳ Μακεδονικῶν, ubi vulgatur Μάκετα et Μακεδονιακῶν. Cf. Clidem. Atth. p. 41. Apparet ab ipsius terrae descriptione Marsyam ut par erat profectum, praesertim cum eiusmodi regionum nomina ex deorum et heroum eorundemque regum antiquissimorum memoria repeti solitae essent. Itaque eodem pertinere (II) Schol. in Iliad. XIV, 226. videtur: Μακεδῶν ὁ Διὸς καὶ Αἰθρίας κατασχὼν τὴν χώραν οὐσαν τῆς Θράκης ἀφ' ἑαυτοῦ Μακεδονίαν προσηγόρευσεν· γήμας δὲ μίαν τῶν ἐγχωρίων τεκνοῦται δύο παῖδας Πίερον καὶ Ἀμαθον, ἀφ' ὧν δύο πόλεις Πιερία καὶ Ἀμαθία ἐν Μακεδονίᾳ. ἡ ἱστορία παρὰ Μαρσύα. Ex primis autem tribus regibus, quos conditori regni Macedonici Perdiccae praemissos a veteribus chronographis ignorant Herodotus et Thucydides, alter fuit Coenus: de quo (III) Etymolog. M. p. 523, 39. et Gudian. 332, 41.: Μαρσύας ἱστορεῖ ὅτι Κνωπὶς τὸ γένος Κόλχος εἰς Μακεδονίαν ἐλθὼν διέτριβε παρὰ Καράνω· υἱοῦ δὲ γενομένου τῷ Καράνω [καὶ] βουλευθέντι τὸν παῖδα ἀπὸ τοῦ ἰδίου πατρὸς ὀνομάζειν Κιράρονα (Καράρονα Et. Gud., Λάκωνος Et. Havn.) ἀνδρίστατο ἢ μήτηρ καὶ αὐτὴ ἀπὸ τοῦ ἰδίου πατρὸς ὀνομασθῆναι τὸν παῖδα βουλομένη. Κνωπὶς δ' ἐρωτηθεὶς εἶπε μηδετέρου (μηδ' ἐτέρου vulgo) ὀνομάζεσθαι αὐτόν· διόπερ Κοῖνος (Κοινὸς vulgo) ἐκλήθη. Ad Caranum spectare, non ad filium ἀπὸ τοῦ ἰδίου πατρὸς verba priora, eorundem infra de matre repetitio arguit. Aristodamidam autem ab Diodoro Theopompoque, ab aliis Poeantem perhiberi Carani patrem Syncellus testatur p. 262. c. Paris.: ut de Κιράρονα (Καράρονα?) parum liqueat. Nam in Λάκωνος ut lateat, quod non est veri simillimum, Φεῖδωνος: qui Phido etsi non fuit, videri certe pater significari facile potuit hac quidem apud Syncellum verborum conformatione Κάρανος Φεῖδωνος (h. e. ἀδελφός) τοῦ Ἀριστοδαμίδα τοῦ Μέρπος e. q. s.: nihilo tamen magis quicquam cum eo nomine potest vulgatae in Etymologicis scripturae commune esse. De undecimi regis Perdiccae II. aetate disputans (IV) Athenaeus V, p. 217. d. e. Περδίκκας τοίνυν αἰτ' πρὸ Ἀρχελάου βασιλεύει, ὡς μὲν ὁ Ἀκάνδιος φησι Νικομήδης ἔτη μὰ· Θεόπομπος δὲ λέει, Ἀναξιμένης μ', Ἰερῶνυμος κή, Μαρσύας δὲ καὶ Φιλόχορος εἴκοσι τρία. Horum numerorum omnium nullum ad veritatem propius accedere quam quem cum Marsya haud multo minor natus Philochorus (p. 57.) posuit, videmur Agathonicorum cap. V. demonstrasse, et videmur etiam nunc post ea quae in alia omnia discedentes disseruerunt Clintonus Fast. Hellen. p. 238. Kr., Krebsius Lection. Diodor. p. 159. sqq., ex parte etiam Boeckhius Corp. Inscr. II, p. 341. Quod non est huius loci uberius persequi. Atque has historias pertinuisse per duos libros primos Macedonicon et partem fortasse tertii, colligitur ex (V) Athen. XIV, p. 629. d. τελεσιᾶς· Μακεδονικῆ δ' ἐστὶν αὕτη ὄρχησις, ἣ χρησάμενοι οἱ περὶ Πτολεμαῖον Ἀλέξανδρον τὸν Φιλίππου ἀδελφὸν ἀνεῖλον, ὡς ἱστορεῖ Μαρσύας ἐν τρίτῳ Μακεδονικῶν. Vix dignus est cuius vel error notetur Santacrucius de Philippo Aridaeo somnians Exam. crit. p. 45. ed. II.: tanta eius in hac caussa levitas fuit. Loquitur Athenaeus de Alexandro II. Amyntae filio, Philippi autem celeberrimi fratre, quem a Ptolemaeo Alorita interemptum archonte Nausigene h. e. Ol. 103, 1. Diodorus XV, 71. prodidit. Paucissimi inter hoc tempus et

ipsius Philippi, patris Alexandri M., regnum anni interiecti sunt: e quo consequitur in quarto libro Marsyam iam esse in Philippi rebus gestis versatum. Earum autem enarrationem, si non ulterius, certe ad librum septimum pertinuisse, tum numerus denarius commentariorum Macedonicorum, quibus rerum ab Alexandro M. gestarum minimam partem scriptor attigit, facit ut libenter credamus, tum suadere (VI) Harpocratio videtur compositis Marsyae et Philippicorum scriptoris testimoniis v. *Μύρτανον· — φρούριον ἦν ἐν Θράκη, ὡς Μαρσύας ὁ πρεσβύτερος ἐν ἐβδόμῃ Μακεδονικῶν καὶ Ἀναξιμένης ἐν Φιλιππικῶν **. Vbi *πρεσβύτερος* pro vulgato olim *πρεσβύτης* etiam cod. Cantabrig. acad. (Dd. 4. 63.), *πρεσβυτῆ*, cod. Cant. coll. SS. Trin. (O. 1. 5.) olim Galeanus tenet, uterque etiam ζ' pro *ὀγδόῃ*, sed item *Φιλιππικῶ* cum reliquis omnibus, quod diu est cum sic ut nuper factum vidimus correximus. Accedit autem quod *Μύρτανον* glossam Harpocratio ipse testatur e Demosthenis pro corona oratione (p. 234, 13.) petitam, quo loco tractata ab oratore ad Ol. 108, 2. vere rettulit Winiewskius Comm. histor. et chronol. p. 124. sqq. Simillimo indicio nostra nititur de alio testimonio coniectura, quod ea qua decet in hoc genere iudicandi modestia ad Pellaei Philippica referimus. (VII) Stephanus enim Byz. v. *Αἰθικία*, commemorato Theopompo *τριακοστῆ ἐνάτῃ Φιλιππικῶν* (fragm. 209. W.) sic pergit: *Μαρσύας δὲ μέσῃν (μέσον vulgo) τῆς Τυμφαίας καὶ Ἀθαμανίας κείσθαι φησι τὴν χώραν*. Spectare haec ad tempora olympiade 108. aliquanto priora intelligitur ex eo, quod libro XXXIX. et iis qui antecedunt Theopompus videtur circa Ol. 104. 105. versatus esse: quode vide Wichersium ad fragm. 200. 212. p. 231. 236. Nam etsi in illo ipso sane libro uberiolem Theopompus de Dionysiorum Siculorum rebus degressionem est exorsus, id quod diligenter Wichersius ostendit p. 27. sqq., tamen eiusdem partem libri in solis constitisse Macedonicis hoc ipsum de Aethicia fragmentum monstrat.

Certissimo autem iudicio ad ultima Philippi tempora (VIII) Plutarchi narratio refertur vit. Demosth. p. 854. cap. XVIII., ubi de iis locutus quae pugnam Chaeronicam (Ol. 110, 3.) praecesserint, deque Demosthenis ad Thebanos legatione, quae accuratius exposita vide in Winiewski Comm. p. 245. sqq., *ἐπεμφε δὲ ἰνquit καὶ Φίλιππος, ὡς Μαρσύας φησὶν, Ἀμύνταν μὲν καὶ Κλέαρχον Μακεδόνας, Δάοχον δὲ καὶ Θρασυδαῖον Θεσσαλοὺς ἀντεροῦντας*. Num haec quoque e septimo libro Macedonicon petita sint, numque octavo an nono ad Alexandri res gestas scriptor transierit, in hac testimoniorum penuria nescitur: tametsi, quam modo ponebamus, ea commodissime sane dispositio in rerum tradendarum ambitum et rationes convenit.

Restat (IX) Diodorus, qui enarrans XX, 50., quomodo ad pugnam Cypriacam (Ol. 118, 2.) Demetrius Poliorceta aciem instruxerit, haec ponit: *κατὰ μέσῃν δὲ τὴν τάξιν τὰ ἐλάχιστα τῶν σκαφῶν ἔστησεν, ὧν ἠγοῦντο Θεμισίων τε ὁ Σάμιος καὶ Μαρσύας ὁ τὰς Μακεδονικὰς πράξεις συνταξάμενος*. Rectius quam de Philippensi Vossius, Wesselingius de Pellaeo cogitavit cum eoque Clintonus Fast. Hell. p. 185. Kr. Nec enim quicquam caussae est, cur repugnare temporum rationem Vossio credamus: quam quidem exploratam de Pellaeo habemus, non item habemus de Philippensi. Quidni autem potuerit, quem una cum Alexandro oportet circa initium olympiadis 106. natum esse, circiter L. vir annorum pugnae interesse? Ab Alexandri enim potius, cuius *δύντροφος* dicitur, quam ab Antigoni, qui frater perhibetur, natalibus proficiscendum: qui cum circa Ol. 120. initium obierit LXXXI. aetatis anno (quode cf. Clint. p. 188.), necesse est circiter XXIV. annis ante Marsyam fratrem natus sit. Ceterum

cum alibi Antigoni patrem Philippum, non Periandrum prodi Wesselingius recordatus vel erroris vel corruptelae Suidam insimulasset, sat probabiliter de fratre uterino Schweighaeuserus cogitavit idque Kruegero quoque persuasit in *Clint. Fast. Hell.* p. 185. Ad annum sextum Alexandri produxisse Marsyam Macedonicon libros satis Suidas declaravit. Nam Syriae incursio (h. e. Phoeniciae, quem loquendi usum locupletissimis exemplis Krenserus illustravit *Quaest. Homer. I*, p. 60. sqq. et 258.) non dicitur ea quae statim post pugnam ad Issum commissam fiebat Ol. 112, 1., sed altera illa post expugnatam Tyrum conditamque Alexandriam suscepta Ol. 112, 2. initio, quam ipsam Diodorus XVII, 52. significans *ἐπανήλθεν εἰς τὴν Συρίαν* dixit. Cf. *Clint.* p. 164. Vt apud Suidam videatur *μέχρι τῆς — ἐφόδου τῆς μετὰ τὴν Ἀλεξανδρείας κτίσιν* scribendum esse.

Pars adhuc disputatorum fundamento hoc nititur, quod alterius Marsyae Macedonica diximus ab regni initio Alexandri M. exorsa esse. Quod quidem longe gravissimo testimonio comprobatur (X) Scholiasta in Euripid. *Hippol.* 666., qui de nodo Gordio agens ab Alexandro dissoluto *Μαρσύας δὲ αἰτ' ὁ νεώτερος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Μακεδόνων ἱστοριῶν φησὶν οὕτως· τῆς δὲ ἀμάξης λέγεται τὸν ζυγὸν τῷ ῥυμῶ προσδεδέσθαι κλήματι ἀμπελίνῳ.* Quibus quae annectuntur: *ἔστι δὲ λόγιον, ὅς ἂν τὸν δεσμὸν τοῦτον λύσῃ, βασιλεύσειν (vulg. λύσει, βασιλεύσει) τῆς Ἀσίας. Ἀλέξανδρον δὲ φασι τὸν Μακεδόνων βασιλέα λύσαι αὐτόν· ὃς διαβάς εἰς τὴν Ἀσίαν τὴν ἐπὶ Γρανικῶ μάχην ἐνίκησε*) καὶ παρεγένετο ἐπὶ τὸν τόπον* cum reliquis ad finem scholii, haec igitur etsi videri possunt ex Marsyae libro hausta esse, tamen ipsa verba scriptoris vix agnoscas. Gordium autem Alexander pervenit Ol. 111, 4. h. e. imperii anno tertio quartove: cf. *Clint.* p. 162. Ex eo quam nihil licet de mediocri ambitu scriptorum ab Marsya Philippensi Macedonicon certo colligere, quippe qui ea, quae iam pertractata a Pellaeo videret, potuerit summario quodam coartare, uberius res ab Ol. 112, 2. gestas persequi: tamen tantum efficitur, vix locum in Macedonicis invenire (XI) Schol. in Platon. *Conviv.* p. 373. Bekk. de Agathone testimonium: *καὶ πρὸς Ἀρχέλαον τὸν βασιλέα ᾤχετο, ὡς Μαρσύας [ὁ] νεώτερος.* Nam ut hunc ipso initio primi libri statuamus priorum regum successiones summamque antiquioris historiae Macedonicae paucis complexum esse, tamen in eiusmodi delectum gravissimorum capitum ecquis sibi persuadeat tam levem rem esse ascitam, qualis aliquot poetarum (habuit enim socios istius peregrinationis Agatho) in Macedoniam adventus fuit? Sed ubi quidem eius itineris mentionem Marsyas fecerit, difficilius sane, quam quaeritur, respondetur. *Ἀρχαιολογίαν* perhibetur scripsisse, ut praeter Dionysium et Iosephum Pherecydes, Phanodemus, et fortasse Hippias atque Anaximenes: cuius terrae vel gentis, ignoratur. Quod si quis de *Attica archaeologia* coniecturam faciat deque temere discerptis Suidae illis verbis, quae sane tertio in vecto Marsya turbata esse vidimus: non fuerit istud quidem ullo pacto absurdum, praesertim cum et *Ἀττικά* illa Pellaeo ascripta et haec *ἀρχαιολογία* dicantur *βιβλίῳ ιβ'* constituisse; sed tamen mirari

*) Vulgatur *διαβάς τινὰ μάντιν ἐπὶ Γρανικῶ μάχην ἐνίκησε.* Cum μάντει aliquo etsi rem sane habuit Alexander teste Diodoro XVII, 17. 18., tamen id nihil pertinere ad scholii corruptelam potest, cuius emendationem firmant eiusdem verba cap. 16. *τῆς εἰς τὴν Ἀσίαν διαβάσεως*, et c. 17. *οἱ μετ' Ἀλεξάνδρου διαβάτες εἰς τὴν Ἀσίαν*: ut mittamus Plutarch. vit. Alex. c. 9., Aeschin. adv. Ctes. p. 77. St. init., Clem. Al. Str. I, p. 145. Sylb.

subeat, inter *Ἀτιθίδων* scriptores non saepius commemorari Marsyam. Quanquam eadem sane miratio in Pellaei *Ἀττικά* cadit, quorum libros XIV. (debebat XII.) *minus claros fuisse* Heynius sentiebat in Apollodor. III, 14. p. 319. Sed luculento testimonio Macedonicis haec tribuuntur (XII) Harpocrat. v. *Γάληψος* (rectius *Γαληψός*): *πόλις Θράκης, ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Γαλήψου τοῦ Θάσου καὶ τῆς Τηλέφης, ὡς Μαρσύας ὁ νεώτερος ἐν πέμπτῳ (ἐνπέμπο* cod.) Μακεδονικῶν.* Nam aegre perspicias, cur eiusmodi additamentis, quibus aliquoties mutilus Harpocratonis libellus non compendifactus suppletur ex ipsa epitoma, ut p. 176, 16. 178, 14. 182, 7., nuperus editor locum denegarit: quo etiam gravius hoc est, quod eius generis quaedam prorsus praetermisit, ut Parisini libri hanc glossam: *Κορθίλος, ὄνομα κύριον· ὃν Ἀθηναῖοι κατέλευσαν (cod. κατέλυσαν), διότι ὑπακούειν Πέρσαις προὔτρεπετο.* E proximo libro sua idem petiit (XIII) Harpocr. v. *Λητή· Ὑπερίδης κατὰ Δημάδου. Λητή πόλις ἐστὶ τῆς Μακεδονίας, μνημονεύει δὲ αὐτῆς πολὺ λάκις Μαρσύας ὁ νεώτερος ἐν ἑκτῷ Μακεδονικῶν.* Cur saepe hoc potissimum libro Letam urbem memorarit, in tanta rerum Macedonicarum obscuritate divinari nequit. Nec ex adiecto Hyperidiae orationis testimonio satis tuto de tempore coniecturam facias, etsi Demadem scimus circa Ol. 110. exitum ad rempublicam accessisse, Ol. vero 114. et obisse Hyperidem et vehementissimas inter utrumque inimicitias exarsisse. Nam ne sic quidem plus proficitur, quam ad tempora inter Ol. 111, 4. (cf. fr. X.) et 114, 3. interiecta pertinuisse Letae urbis mentionem. (XIV) Harpocr. v. *Ἀμφίπολις: Μαρσύας δ' ἐν Μακεδονικαῖς (aut excidit ἱστορίαις aut confidenter reponendum Μακεδονικοῖς) διὰ τὸ περιουκείσθαι τὸν τόπον Ἀμφίπολιν ὠνομάσθαι πρότερον Ἄκραν καλουμένην. ἢ δὲ Ἄρεος καλουμένη πόλις * **. Sic haec e vestigiis cod. Cantabr. acad. scribenda *). Amphipolim commemorandi etsi fuit sane etiam Pellaeo Marsyae largissima et opportunitas et vero necessitas inde ab Ol. 78., tamen imprimis copiosam eius urbis descriptionem exstitisse in Philippensis Macedonicis (XV) Scholia docent Vaticana in Eurip. Rhes. 346. verbis in codice corruptissimis, sic autem redintegratis ab Hermanno Opuscul. V, p. 191.: *οὐκ εἶρηκε τίνος Μουσῶν ὁ Ῥῆσος εἶη παῖς. Κλειοῦς μέντοι λέγουσιν αὐτὸν εἶναι, καθάπερ Μαρσύας ὁ νεώτερος ἐν τοῖς Μακεδονικοῖς (ἐν τ. τ. οἰκοδομ. τ. cod.) περὶ τῶν χαικομόρων γράφων οὕτως· εἰσὶ δὲ οἱ καὶ περὶ τούτου εἶπον τοῦτο· Κλειῶ τὴν θεὸν ὑπὸ τοῦ Στρυμόνος ἐκ τοῦ χοροῦ τῶν Μουσῶν νυμφευθῆναι τεκνωσάει τε τὸν Ῥῆσον. καὶ μετ' ὀλίγον· ἐστὶν ἱερὸν τῆς Κλειοῦς ἐν Ἀμφιπόλει ἰδρυθὲν ἀπέναντι τοῦ Ῥῆσου μνημείου ἐπὶ λόφου τινός.*

*) Editum πρότερον Ἄκραν καλουμένην. οἱ δὲ Ἄρεος πόλις: quae per se suspicionem movent. Libri autem (nisi quod cum Rehdigerano faciens Burneianus Musei Britannici, olim Perusinus, haec omnia omisit) haec tenent: *πρότερον Ἄκρα καλουμένη. οἱ δὲ Ἄρεος πόλις. Vnus Galeanus καλουμένην.* Sed multum discrepat alter Cantabrigiensis: *πρότερον Ἄκρα καλουμένη. ἢ δὲ Ἄρεος καλουμένη πόλις* cum lacunae significatione. Apparet nominativum ex posterioribus in priora irrepsisse, οἱ autem correcturae deberi. Simile lacunae vestigium in reliquis libris obscuratae idem codex habet v. *ἀγνιᾶς: βέλτιον δὲ περισπᾶν ὡς ἀπὸ τοῦ ἀγνιᾶς· ἀγνιεύς δὲ ἐστὶ κίων (pr. m. κύων) εἰς ὅξυ ἀπολλήγων ὃν ἱστᾶσιν· ὡς σαφὲς ποιοῦσιν ἀριστοφάνης τε ἐν σφηξί καὶ εὐπόλις ἐν πρὸ τῶν θυρῶν ἰδίους δὲ e. q. s. Scribe: ἀγνιεύς δὲ ἐστὶ κίων εἰς ὅξυ ἀπολλήγων, ὃν ἱστᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν, ὡς σαφὲς ποιοῦσιν Ἀριστοφάνης τε ἐν σφηξί καὶ εὐπόλις ἐν**.* ἰδίους δὲ —. Ceterum de *μαρούσα* et *μακεδονικαῖς* non discrepant Cant. et Gal.; sed paullo ante non verum est in Angelicano esse *ληναίου φόρον*, qui habet *λιναίου φόρον*; Parisinus autem, de quo tacetur, cum Cant., Gal. tenet *ληναίων φόρον*. Quae ut sunt sane levia, tamen nimiam diligentiam non testantur.

Quarum emendationum cum pleraeque extra controversiam positae sint, de uno *περὶ τῶν κακομόρων* nescio an dubitare liceat, quantumvis scite excogitato pro eo quod affertur e codice *τῶν κακοβρι*. Quanquam apage velut hanc hallucinationem *ἐν τῶν Μακεδονικῶν Γ^ω καὶ κ^φ βιβλίῳ h. e. τρίτῳ καὶ εἰκοστῷ*: quae parum usitata sit citandi ratio. Cum hoc igitur testimonio commodum fuit Harpocratonis glossam (fr. XIV.) componere. Apparere autem ex allatis videtur, imprimis diligentem in urbium regionumque descriptione Marsyam fuisse. Adiungimus nunc, quae etsi non est. proditum ex Macedonicis sumpta esse, tamen tenuibus indiciis, quomodo potuerint in iis locum habere, significant. Consentaneum est enim, prius quam de quovis alio incerto cogitare de eo libro, quem vere usurpatum manibus posteriorum scriptorum satis certo norimus. (XVI) Athen. XI, p. 467. c.: *Παρθένιος ὁ τοῦ Διονυσίου ἐν πρώτῳ περὶ τῶν παρὰ τοῖς ἱστορικοῖς λέξεων ζητουμένων φησὶν· γυάλας ποτηρίου εἶδος, ὡς Μαρσύας γράφει ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἡρακλέους, οὕτως· ὅταν εἰδῆ ὁ βασιλεὺς εἰς τὴν πόλιν, συναντᾶν οἴνου πλήρη γυάλαν ἔχοντά τινα, τὸν δὲ λαβόντ᾽ ἀπένδειν.* De Macedonica urbe haec narrari non temere coniiicitur ex Etymol. M. p. 243, 13. *γυάλος εἶδος ποτηρίου παρὰ Μακεδόσιν*, pro quibus Hesychius I, p. 865. *γυάλας* (cod. *γυλλὰς*) *εἶδος ποτηρίου παρὰ Μακεδόσιν* (*Μακεδόνων* cod.) Ac sacerdotes quidem novimus complures scriptores Graecos. Pel-laenum autem Marsyam, ludi magistrum eundemque ducem navalem, vix erit qui etiam sacerdotio augere animum inducat. Ceterum Parthenii magister ille Dionysius Suidae quartus est inter cognomines, Alexandrinus quidem, a Nerone ad Traianum clarus: vid. Fabric. Bibl. Gr. IV, p. 309. Harl. Ipsius tum argumenti tum loci affinitate tam coniuncta cum *γυάλου* commemoratione haec sunt (XVII) Athen. XI, p. 477. a. *Μαρσύας δὲ (τὸ κισσύβιον εἶναι λέγει) κύπελλον καὶ τὸ ξύλινον ποτήριον*, et (XVIII) ibid. p. 479. c. *Μαρσύας δὲ φησι τὸ ἐν τῷ ἰσχύῳ ὁστὸν καλεῖσθαι ἄλεισον καὶ κύλικα*, ut vereamur ne de grammatico Marsya inconsideratius Schweighaeuserus cogitarit. Quis enim quaeso ex Macedonicis ipsum illud de *γυάλος* testimonium repetiturus esset, nisi fortuito servata grammaticorum notatiuncula eius cum Macedonicis antiquitatibus necessitudo monstraretur? quis velut *τελεσιᾶς* nomen (fr. V.) simpliciter allatum assequatur quo nexu potuerit historiarum libris insertum fuisse? Sed tamen ut ex his largiamur sua non hausisse Athenaeum, Marsyam memento *ἕτερά τινα περὶ τῆς ἰδίας πατρίας* edidisse, in iisque fortasse de moribus institutisque quibusdam Macedonum miscellaneo illo commentandi genere quanquam non grammaticum exposuisse, cuius scriptores plurimi ex peripateticorum scholis prodierunt. Idem valere huc potest, quod (XIX. XX) a Plinio in *elenchis auctorum externorum* libri XII. et XIII. Naturalis historiae, quibus libris de natura arborum peregrinarum agitur, p. 50. 53. Sill. *Marsyas Macedo* ponitur: nisi quidem, quod amplectimur libentius, id genus rerum enarrandis Alexandri M. in orientis partes expeditionibus intexuerat. Nec vero satis caussae (XXI) Hesychius praebet, cur cum Fabricio Bibl. Gr. VI, p. 372. in grammaticorum numerum Marsyas referatur, testimonii caussa excitatus praeter satis obscuram glossam vol. II, p. 1445., in quam iam non vacat inquirere, etiam (XXII) p. 1219.: *Σκότιος*. — *τοὺς γὰρ μὴ ἐκ φανεράς, λαθραίας δὲ μίξεως γεγονότας σκοτίους ἐκάλουν, ἔνιοι παρθεν[ί]ους, ἄλλοι κοριναίους, καθάπερ Μαρσύας ἐν τῇ Ἰάδι*: quae sequitur nova glossa *Σκοτοδιναῖα*. Quae si codex teneret, etsi dubitari de scripturae integritate posset, tamen non sine specie veri argumentari grammatici alicuius patronis liceret. Verumenimvero e codice

notatur *Μαρσύας ἐν τῇ ἰάσ. κοτοδιναῖ*: in quibus sagaciter perspexit ac nimis cunctanter pronuntiavit Schowius p. 696. latere ἐν τῇ ἰ. σκοτοδιναῖ —: quod simplicius etiam quam ἐν τῇ ἰά fuerit. Ut profecto non ineptiat, qui Marsyam alterutrum ipsorum Macedonicon libro primo suspicetur de eo nomine dixisse, quo, quos *παρθενίους* Lacedaemonii, vocarint Macedones. Quod quidem nec *κοριναῖοι* potest nec *κορηναῖοι* fuisse, sed ut arbitramur *κορευναῖοι*. Ad *Mythica* autem merito rettulisse Schweighaeuserum existimamus haec (XXIII) Athenaei Epit. II, p. 69. d.: *Κρατῖνος δὲ φησι Φάωνος ἐρασθεῖσαν τὴν Ἀφροδίτην ἐν καλαῖς θριδακίναῖς αὐτὸν ἀποκρύψαι, Μαρσύας δὲ ὁ νεώτερος ἐν χλόῃ κριθῶν*. Quanquam im merito hunc scriptorem ab eo, qui Harpocratiōni et Suidae ὁ νεώτερος dicitur, idem Schweighaeuserus distinxit. Nec alibi nisi in Mythicis locum videntur haec habuisse (XXIV) Schol. in Odyss. XVIII, 85.: *Ἐχετος ἦν μὲν υἱὸς Βουχέτου, ἀφ' οὗ καὶ ἐν Σικελίᾳ πόλις Βούχετος καλεῖται. Σικελῶν δὲ τύραννος λέγεται. τοῦτον τοὺς μὲν ἐγχωρίους κατὰ πάντα τρόπον σίνεσθαι, τοὺς δὲ ξένους ἀναιρεῖν λωβώμενον* e. q. s. ἡ ἱστορία παρὰ Μνασέα καὶ Μαρσύα. Nolumus omnia transscribere, quia, Mnasea potissimum an Marsya auctore haec narrentur, ambiguum est. Quanquam habemus, cur a Mnasea potius profectam singularem illam fabulae formam credamus, quae cernitur in Siciliae mentione, cum consentiens vox antiquitatis sit de Epiri et rege Echeto et urbe Βούχετος vel Βούκετος vel Βουχέτιον (quod Straboni VII, p. 498. reddendum pro Βουχαιτίον) vel Βουκέτα. De rebus autem Epiroticis etsi in suis Macedonicis h. e. in Philippicis Theopompum scimus, libro quidem XLIII., dedita opera exposuisse, de quo vide Wichersium p. 240. sqq. disputantem: tamen hoc non fecit, quod illae necessario cum Macedonum historia vinculo continerentur, sed quia nimius fuit exspatiando, id quod non item comperimus in Marsyam cadere.

Restant duo fragmenta ab Harpocratiōne servata, de quibus valde impeditum est iudicium: alterum (XXV) v. *Ἀριστίων*. — οὗτος Σάμιος μὲν ἐστὶν ἢ Πλαταιεύς, ὡς Διυλλός φησιν, ἐκ μεираκίου δ' ἐταῖρος Δημοσθένους. ἐπέμφθη δ' ὑπ' αὐτοῦ πρὸς Ἡφαιστίωνα ἐνεκα διαλλαγῶν, ὡς φησι Μαρσύας ἐν πέμπτῳ τῶν περὶ Ἀλέξανδρον: alterum (XXVI) v. *Μαργίτης*. — καὶ Μαρσύας ἐν πέμπτῳ τῶν περὶ Ἀλεξάνδρου ἱστορεῖ λέγων *Μαργίτην ὑπὸ Δημοσθένους καλεῖσθαι τὸν Ἀλέξανδρον*. Scripturam bina testimonia invicem tuentur, nec de ea moveri dubitatio potest, praeterquam quod περὶ Ἀλέξανδρον usitata hoc in genere est loquendi forma: vide Schweighaeuser. in Athen. vol. XV, p. 100. Rem autem per partes utrobique eandem narrari facile persuadet historiae fides. Spectant enim illa ad Ol. 111, 2., quo anno ab Atheniensibus sibi tradi Alexander cum aliis oratoribus Demosthenem iussit, qui mortuo Philippo exsultans defectionem suasisset huiusque in adolescentem successorem cum alia convicia coniecisset tum contemptim eum *Μαργίτης* nomine notasset: testibus quidem Plutarcho vit. Dem. c. 23. et Aesch. adv. Ctesiph. p. 76. St. §. 160. Reconciliatum Alexandrum Plutarchus et Diodorus XVII, 16. a Demade tradiderunt, tacentes illi de Aristione; sed huius ipsius cum his negotiis societatem, quanquam silentio Hephaestionem praetermittens, copiose Aeschines §. 162. persecutus est. Eas igitur res uter Marsyas ubi tractarit quaeritur. Neque autem earum memoriam Harpocratio potest nisi aut ex Pellaei aut ex Philippensis aut ex neutrius Macedonicis hausisse. Atqui Pellaeus libro septimo versabatur in temporibus Philippicis. Quodsi largiremur in fr. VI. ἐβδόμη corruptum velut e πέμπτῃ esse, num cuiquam credibile videretur

quinque libris aliquot saecula historiae Macedonicae in iisque integram Philippi aetatem, quinque autem et quod excurrit aliis singulos quinque annos Alexandri fuisse comprehensos? Quanquam ne potuit quidem ullo modo fieri, ut quae et essent et inscriberentur Macedonica, eadem τὰ περὶ Ἀλέξανδρον dicerentur, nisi sic ut pars tantum illorum ea significaretur, quae ad ipsum Alexandrum pertineret. - Vt igitur quintum librum τῶν περὶ Ἀλέξανδρον statuas decimum fuisse Macedonicon, numqui magis credibile, quattuor libris unum, uno autem quattuor annos pertractatos? Misso igitur Pellaeo facile quispiam coniciat Philippensis scriptoris sive totum opus sive primos libros minimum quinque vocari τὰ περὶ Ἀλέξανδρον eo commodius posse, quod ille superiora Macedonum tempora ne attigerit quidem. Atqui idem res ad quartum annum illius olympiadis 111. referendas iam libro primo tractarat (fr. X). Rursum autem largiamur aliquantisper non πρώτη, sed πέμπτη vel quemcunque numerum volueris Euripidis scholiastam, posuisse. Ita quidem intelligisne quantum opus Marsyae tribuas, cuius quinto libro secundum imperii annum Alexandri assignes? tanquam Theopompi exemplo, quem sane novimus totidem libris biennium Philippici regni complexum: cf. Wich. p. 26. Ex tantae autem amplitudinis commentariis luculentissimis praeter paucissima quaedam et tenuissima frustula nihil servatum esse credat qui potest. Verumenimvero audire videmur contra disputantem. Quid enim, si annorum ordine descriptas regumque successione dispositas Macedonum historias ne condiderit quidem alter Marsyas, sed variarum rerum ad antiquitates, mores, instituta Macedonica spectantium farraginem aut libero ordine aut generum quorundam discrimine dispertitam congesse- rit? Nam profecto, si ab illis fragmentis, quae ad Pellaeum rettulimus, recesseris, reliquorum longe maxima pars fere seiuncta esse ab ipsarum rerum gestarum expositione potuit, ac vel illud, quod ab initio posuimus (X), non magis propter Alexandri per Asiam expeditiones videri queat in eiusmodi miscellaneis commentariis locum invenisse, quam propter singularem ac miram quam per se Gordius ille nodus conditionem habuit. Contra quae breviter dici potest. Obstat enim idem ille Euripidis scholiasta, Marsyam antestatus ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Μακεδόνων ἱστο- ριῶν, obstat loquendi usus et similium comparatio inscriptionum. Illo enim exemplo con- scriptis commentariis indicem auctor fecisset ὑπομνήματα vel σύμμικτα vel quae sunt reliqua nomina eiusdem generis. Itaque ut revertamur unde profecti sumus, cum nec Pellaei nec Phi- lippensis Macedonica significasse Harpocratio Ἰ. Ἀριστίων et Μαργίτης possit, nec ad Ἀλεξάν- δρου ἀγωγήν prioris scriptoris sana ratione referre ea liceat, quae adultus Alexander et rex factus perpetravit: nihil iam videmus reliquum esse, nisi ut, quae Suidas ἕτερα τινὰ περὶ τῆς ἰδίας πατρίδος memoravit, interpretemur et Macedonicon et diversos ab his de Alexandri rebus libros. Quodsi cui mirum videatur, de eodem viro, ab cuius regno universae gentis historiam orsus sit, unum scriptorem singulari praeterea litterarum monumento exposuisse, etsi hanc mi- rationem fatemur ne a nobis quidem alienam esse, praesertim cum ab ea gente per illius regni spatium nihil fere, nisi quod ad ipsum regem pertineret, memorabile peractum sit: iidem tamen acquiescendum esse in eis videmus, ultra quae prodire artis fines vetant. Quanquam qui secum reputet Macedonicon primo libro de tertio quartove regis anno agi, de altero autem in libro quinto historiae Alexandri, habeat sane quod inter utrumque opus interfuisse suspicetur.

Ad mortem Alexandri si alterutros commentarios, ut videtur sane, Marsyas produxerit, oportet eum magnificentum illud carpentum funebre tetigisse, de quo multi sunt Diodorus XVIII, 26.

et Aelianus Var. hist. XII, 64. Adiciamus hoc, ut facta opportunitate librariorum mendo Athenaeum liberemus de eodem carpento haec prodentem lib. V, p. 206. e. Moschionis verbis: Διοκλείδης μὲν ὁ Ἀβδηρίτης θαυμάζεται ἐπὶ τῇ πρὸς τὴν Ῥοδίων πόλιν ὑπὸ Δημητρίου προσαχθείσῃ τοῖς τείχεσιν ἐλεπόλει, Τιμαῖος δ' ἐπὶ τῇ πυρᾷ τῇ κατασκευασθείσῃ Διονυσίῳ τῷ Σικελίας τυράννῳ, καὶ Ἰερώνυμος ἐπὶ τῇ κατασκευῇ τῆς ἄρμαμάξης ἣ συνέβαινε κατακομισθῆναι τὸ Ἀλεξάνδρου σῶμα, Πολύκλειτος δ' ἐπὶ τῷ λυχνίῳ τῷ κατασκευασθέντι τῷ Πέρσῃ e. q. s. Ac scriptores quidem hos dici, non artifices illorum operum, inter omnes convenit. Ergo θαυμάζεται Schweighaeuserus interpretatus est *admiratur*, incredibili incogitantia ascitis θαυμάζονται formae exemplis, Gust. autem Kiesslingius Comm. de Menaechmo Sicyonio et Hieronymo Cardiano (Cizae edita a. 1830.) p. 21. passivam vim eius verbi tenens in eo acquievit, ut ἐπὶ τῇ ἐλεπόλει *fere poetica loquendi ratione* positum pro ἐπὶ τῇ τῆς ἐλεπόλεως διηγῆσει putaret. Verum nec in poeta versamur, nec descriptionis potius quam operum laudationem expetimus. Scriptum igitur ab Athenaeo θαυμαζέτω arbitramur. Etenim *admirantor* Moschio inquit *alii alia opera insigni arte opibusque eximiis exstructa: me iudice cunctis gloriam praeripit. Hieronis consilio sumptibusque aedificata navis*, cuius deinceps praestantiam per singula persequitur.

Habetis commilitones, velut promulsidem ex uno aliquo genere depromptam, qua ad largissimas in quovis genere epulas, quas iam appositas videtis, invitementi. Quibus ita utimini, ut et ad vos pulcherrimi fructus redundant, et nos impensae vobis operae ne poeniteat. Valet. Scriptum Vratislaviae m. Febr. a. MDCCCXXXVI.

ORDO THEOLOGORVM EVANGELICORVM.

Augustus Hahn, Dr. P. P. O. h. t. Decanus.

- | | |
|----------|--|
| Publice | I. Exercitationes in Seminario homiletico et dogmatico-historicas in Seminario Regio moderabitur hh. cc. |
| Privatim | II. Epistolas catholicas <i>Petri, Iacobi et Iudae</i> interpretabitur dieb. Merc. et Sat. hor. xi.
III. Ethicen Christianam exponet dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. xi.
IV. Historiam dogmatum Christianorum narrabit senis diebus hor. xii. |

Guilelmus Böhmer, Dr. P. P. O.

- | | |
|----------|---|
| Publice | I. In Seminario Regio theologico maiorem Iustini Martyris apologiam et librum Tertuliani de testimonio animae tractabit, item disputandi exercitationibus praeerit semel per hebdomad. hora definienda. |
| Privatim | II. Apologeticen Christianam dieb. Lun., Merc., Ven. hor. ii. docebit.
III. Historiae ecclesiasticae, intra spatium unius anni absolvendae, partem priorem dieb. Lun., Mart., Merc., Iov. et Ven. hor. iv. narrabit. |

Henricus Middeldorpf, Dr. P. P. O.

- | | |
|----------|--|
| Publice | I. In Seminario Regio theologico exercitationes exegetico-criticas in Vet. Test. moderabitur die Saturni hor. x.
II. Encyclopaediam et methodologiam theologicam proponet diebus Lun., Mart. et Iov. hor. xi. |
| Privatim | III. Psalmos interpretabitur quinquies hor. x.
IV. Introductionem historico-criticam in Novi Testamenti libros proponet quater hor. ix. |

David Schulz, Dr. P. P. O.

- | | |
|----------|---|
| Publice | I. Disputationes de rebus theologis moderabitur die Saturni hor. viii.
II. Exercitationes exegetico-criticas de Novi Test. libris in Seminario reg. theol. moderari perget die Sat. hor. ii. |
| Privatim | III. Criticam et hermenenticam Novi Test. docebit quinquies hor. viii.
IV. Epistolas Pauli ad Romanos, Ephesios, Colossenses, Philemonem, Philippenses et ad Tim. ii. cum ep. ad Hebraeos interpretabitur sexies hor. vii. |

Georgius Henricus Bernstein, Dr. P. P. O.

- | | |
|----------|---|
| Privatim | I. Librum Danielis interpretabitur ternis per hebd. dieb. hor. xii. |
|----------|---|

